



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore
distinctus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agrippinae, 1684

46. An vigore cameralis obligationis exemptus possit conveniri coram
Ordinario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

lustratione non parum conferunt scholia quæ composuimus in constitutionem S.D. N. Leonis 10. editam in Conc. Later. anno 1516. incip. Regimine.

QUÆSTIO XLVI.

An vigore Cameralis obligationis Exemptus possit conveniri coram ordinario.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| 1. Diffinitio Cameralis obligationis. | sent. |
| 2. Divisio. | |
| 3. 8. Vigore Cameralis obligationis Exempti non subiciuntur ordinario. | 6. Item nisi speciali rescripto subicerentur. |
| 4. 9. Clerici vigore illius non possunt conveniri coram ordinario. | 7. Aut convenirentur coram Auditore Camera. |
| 5. Secus in Exemptis qui prorogare possunt. | 10. Rota non est competens in causis Patrum Societatis Jesu. |

Cameralis obligatio nil aliud est, quam formula quædam ex variis cautionibus iudicis diuturno Curie Romanæ usu composita, quæ contractuum instrumentis adjecta, efficit ut cessatores facilius per iudicem compelli possint ad præstandum promissa.

2 Dividitur, autem, teste Massa Galesto in suo quem de illa speciali tractatu edidit in sex partes, quarum secunda continet submissionem debitoris omni iurisdictioni & cuius Curie tam Ecclesiasticæ quam Sæcularis. Unde hic tacta est occasio inquirendi, Utrum vigore ejusmodi submissionis Exemptus vocari possit coram ordinario. Massa quidem in suo hoc tractatu omnis generis ad hanc formulam spectantes quæstiones in medium ponit & curiosè examinat, at vero hanc ne tangit quidem, igitur ut accingam me ad solutionem propositæ quæstionis.

3 Mihi visa est opinio negativa amplectenda, multis ex causis & auctoritatibus, imprimis quidem ex analogia quam frequenter supra diximus esse inter Clericos & exemptos ratione fori: siquidem virtute ejusmodi submissionis Clericus conveniri non potest coram iudice Sæculari nequam Ecclesiasticorum honorum causa, sed nec etiam temporalium seu patrimonialium. *Decis. Tholos. 126. ubi Anstret. à Massa ad formul. Camer. oblig. secunda partis quæst. I. num. 1. ergo nec Exemptus coram ordinario, Fel. But. c. DD. allegati supra lib. 1. quæst. 45. n. 5.*

4 Præterea, Clerici non possunt vigore ejusdem obligationis conveniri coram alieno Episcopo seu ordinario: quippè quod illum prorogare non possint sine consensu proprii ordinarii. *cap. si diligenti de foro compet. Massa d. parte 2. quæst. 1. nu. 6.* Ergo nec

Exem-

Exemptus, ex quo nec tacite nec expresse ordinarium prorogare possit, nisi cum Pontificis aut legati à latere facultate, dixi supra lib. 2. quaest. 2. § 7. Pontifex enim est Dioecesanus Exemptorum. vide infra quaest. 48.

Quod tamen limitandum est primò in Exemptis, qui prorogare possunt & consentire in alienum iudicem. l. si convenerit. ff. de iurisd. om. iud. l. si quis in conscribendo, C. de pat. c. 1. ubi Dec. & DD. de iudic. notavi supra d. quaest. 7. in fine.

Limitandum secundo, nisi Pontifex rescripto concedat quod Exemptus coram non suo iudice conveniri possit, quia iudex is delegatus amplius dici non suus non potest, ex quo delegatus est à Papa vel Imperatore, qui sunt omnium ordinarii. cap. antiqua de privileg. glo. & Franc. cap. auctoritate §. inhibemus vers. in gloss. de privi. in 6.

Limitandum tertio, si Exemptus conveniretur coram auditorio Camerae, quia auditor Camerae creatus est à Papa Generalis causarum Auditor, & inter cetera causarum genera demandatur ei executio obligationum in forma Camerae. Unde tanquam exepresse delegatus ad hanc similitudine causarum generalitatem omnibus est iudex competens, ex quo sit à Papa delegatus. d. cap. antiqua. Albericus in dictionario verb. promittat saepe debitor §. aliquando debitor in fine. Massa ad form. Camerae. oblig. d. quaest. 1. secunda partis. n. 3. § 4. quod ipsum in hac specie nominatim tradit octavianus Vestrinus insignis Romanae Curiae Practicus lib. 2. suae praxeos ca. 4. n. 4. § 6. item Anton. de Amatis decis. 17. n. 1.

Dicens non obfistere Auditori declinatoria seu privilegium fori, quinimo eos executionem suam etiam protendere in Episcopos, quos superiore libro speciali reservatione diximus immediate sanctae Sedi esse subiectos 9. 41. Quo fit, ut remaneat conclusio Regularis ordinarios non cognoscere de causa exemptorum vigore Camerae obligationis: quippe quod ut dictum est, Exempti subdicere se non possint censuris ordinarii ad instar Clericorum, quibus id sine proptii Episcopi licentia permissum non est. Ita etiam ut est communior Doctorum sententia, ad instar Laicorum, non enim vigore huius obligationis procedi potest extra Romanam Curiam via excommunicationis & censurarum, nisi per proptium obligati sive Clerici sive Laici Episcopum, aut etiam alienum, in quem de consensu proptii Episcopi facta sit prorogatio. Massa ad tertiam particulam q. 3. n. 2. Unde cum Exemptus prorogare nequeat, non mirum si ordinarius ne quidem hoc casu iurisdictionem suam in Exemptos extendere non possit. Quod tamen ut limitatione prima dictum est, intelligendum venit de exemptis Papae immediate subiectis, qui prorogari non possunt, alioquin enim in eo genere exemptorum qui prorogare possunt, nihil impedit, quo minus ordinarius iurisdictionem exerceat, ut tenet Felinus & alii cap. P. §. 1. n. 13. de offic. deleg. & in repet. verb. Exemptus ab ordinario fol. 53.

Porò, quod dixi Rotae auditorium iurisdictionem habere in exemptos, limitandum est, nisi speciali exemptionis privilegio aliter dispositum sit, uti de patribus Societatis Jesu eleganter refert Antonius de Amatis decis. 17. n. 1. & seqq.